



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Occupatio animae Jesu Christo crucifixo devotae.

Leroy, François

Pragae, 1666

§.3. De eo quòd Christus amorem nostrum secum crucifixerit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47123](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-47123)

naturaliter peruersus est, atq; repugnans Legi DEI. Si hunc dimittis, non es amicus Jesu Christi. *Qui enim sunt Christi (inquit B. Apostolus) carnem suam crucifixerunt cum vitijs & concupiscentijs.*

§. 3.

De eo, quòd Christus amorem nostrum secum crucifixerit.

Porro, quod modò indicabamus, privatam illum amorem nostrum, ab ipso Christo jam crucifixum esse, non inutiliter à nobis hìc considerabitur. Nam sicut ad Apostoli verba nuper citata respiciens Origenes, ait: *in Christi cruce duos simul affixos fuisse; unum visibiler, nimirum Christum; alterum invisibiler, videlicet Diabolum, cum principibus & potestatibus suis: ita dicere possumus, Christum, itidem eadem operà, familiarem illum & intestinum nostrum dæmona, amorem (inquam) nostrum proprium, eisdem secum ligno, inaspectabili ratione confixum, cum vitijs & concupiscentijs traduxisse & triumphasse.*

Quo modo etiam de Christo, sæculi cupiditates ad crucem suam, spoliolum instar affigente, quodam loco loquitur S. Ambrosius: *Bona arundo (ceu telum acutum) caro Christi, que serpentis caput, & mundana cupiditatis illecebras patibulo crucis affixit.* Et alibi de eodem Christo in crucem sublato: *Nos autem quoniam trophæum jam videmus, & quòd currum suum triumphator ascendit, consideremus, quòd non arborum truncis, non quadrijugis plausiri manubias de mortali hoste quasitas, sed patibulo triumphali captiva de sæculo spoliata suspendit.* Eodem scilicet ista recidunt, crucifigi diabolum, & amorem proprium, seu carnem cum vitijs & concupiscentijs, crucifigi. *In carne enim (ait idem S. Ambrosius) Diabolus crucifigitur.* Qui rursus alibi similiter ait: *mundum in suis illecebris crucifixum esse.*

Quibus

Quibus consentaneè S. Gregorius Nazianzenus oratione 18. inter ea, quæ animo comprehensa, ad vitæ melioris studium nos ducunt, recensens Christi (uti appellat) primi Martyris cruciatus, de eodem mox ita subijcit: *Qui crucem conscendit, meq; secum duxit, ut peccatum meum affigeret, & de serpente triumpharet, & sanctitatem ligno adferret, & voluptatem vinceret.*

Sed enim cum audis, jam olim cum Christo crucifixum veterem hominem; aut amorem nostrum ab ipso Christo triumphatum; non continuo debellatum esse, aut rem omnem confectam existimes; nec jam partes ullas aut laborem ullum ea in causa à te requiri. Refigit quippe se de facili hic improbulus, atq; petulanter obluens & protervè lascivens, aut clavos astutè exire, aut eos revellere contendit. Ut nisi solerter atque sedulè coërceatur, & manus assidue ad malleum & clavum adhibeatur, facile pereat impensus labor, & quasi nihil hætenus actum sit, omnis de novo sit atque ex integro res ordiendæ.

Ergo etiam nobis admovenda est manus operi, & ipsi Christo amorem nostrum crucifigenti, allaborandum. Crucifixit enim illum Christus, ejus opprimendo insolentem tyrannidem; utq; jam virtute crucis armati, eum in nobis debellare, atque ex toto triumphare valeamus. Secundum quod ait supra laudatus S. Ambrosius: *Unius diei triumphus, l. 10. in Luc.* fecit omnes propè jam homines triumphatores. Eodemq; sensu loco citato Origenes: *Diabolus victus & crucifixus est, inquit, sed ijs qui cum Christo crucifixi sunt.*

§. 4.

Rerum isto capite propositarum extrema Conclusio.

UTigitur rem omnem in pauca contractam concludam: huc deniq; recidit præsentis capite proposita cogitatio; ut.